55

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS Medicorum, Die Iouis, xxii. Martij,

M. ROBERTO PATIN,

DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Senibus Vinum parcius, dilutius?

QVOTIDIANO corporis defectui, qui naturalis quidem, at certè grauis est morbus, verius quædam mortis prolixitas, non aliter mederi potest homo, quàm si potus cibique adminiculo sarciat quidquid illius succo continenter decedit. Videre autem & in omni vita meditatum habere debet, vt id tantùm adhibeat, quo vires reficiantur, non opprimantur: nempe vt sanitatis mater est abstinentia, sic intemperantia malorum omnium Lerna est. Vir frugi omnibusque vitæ partibus moderatus rectè omnia facit: potu etenim pastuque parciore vigent membra omnia, viget & sui compos erectusque animus, immoderato fartum distentumque corpus mentem obstupefacit, suas ei sordes allinit, obstructáque virtutis & sapientiæ semitâ, ad sublimiorum rerum contemplationem non sinit assurgere. Neque verò satis est nihil prorsus vltra modum atque necessitatem attingere, nisi hoc ipsum quod ingeritur, suauissimum sit, & idem facillimum ad concoquendum.

VITÆ melioris custos & optima procuratrix frugalitas multos funditus secūdæ valetudinis bonis euertit, quòd

226

eorum quæ restrictè assumebant, pestiferis viribus haudquaquam intellectis, insitam sibi à natura temperiem inculpatam sensim pessimæ commutarint. Quomodo enim citiùs atteritur lima quæ ferrum radit arroditque durissimum; ita naturalem illum calorem, cui conficiendi alimenti partes à natura datæ sunt, tum maximè frangi diminuique necesse est, cùm ægrè omnino suum absoluit pensum; ipsæque interim vniuersi corporis partes hoc promptiùs appellentis succi peregrinas induunt qualitates, quò is contumacior, minusque coctionis patiens fuerit. Porrò dispar est vitalis ille calor non solum in disparis, verum etiam in similis temperamenti, sexus, & ætatis hominibus. Oris nondum cibis firmi infantibus nihil præter geminum potandi liquoris lactei fontem Natura aperuit; quidquid frustra Ars adijcit, malè cedit. Secus se res habet in adultæ, florentis, constantisque ætatis hominibus, ad quorum luculentiorem velut caminum penè nullum non coquitur, vincitur, domaturque etiam valentius alimentum, calore haud amplius, vt in puerulis, vbertate circumfusi humoris hebescente; senes quos iam destituit calor, velut ad vitæ carceres reuocati infantium more tractandi sunt mollius, quóque propius absunt vt eorum natura morte dissoluatur, hoc paucioribus, coctúq; facilioribus alimentis est sustinenda, ne velut ligna quem pascunt ignem largiùs congesta suffocant, nimio aut indomito succo obruatur, qui extingui debebat sua sponte, nullaque adhibitâ vi consumptus igniculus.

VINVM quod succus est è maturis vuis expressus, quanquam sit è potulentorum familia, iure tamen & in eorum quæ nutriunt numerum potest adscribi: alit enim, sed malignè: quantóque facilius est potu quàm cibo impleri; tantò celeriùs infusum corpori vires inimicas effundit: argumento sunt halitus, ructusque fœtidi, sitis, inquies nocturna, furiales somni, tremulæ manus, & quæ hoc fonte deriuata morborum alias hominem grauiùs solet affligere. Vinum album si & gene-

roſum, multis nominibus eſt infenſum; nigrum, ceu dulce obſtruit: rubrum citiùs in ſanguinem abire qui prędicant, ridiculi, ac totius Naturæ ignari. Merum nemini non remis veliſque fugiendum, & quemadmodum fere fert humanarum ſtatus rerum, quò nobilius, hoc nocentius: ab hoc frequens οἰνάγχη, cùm vix aliquando proſit vinum, ſæpiſſime noceat, iis qui ſua ſine corporis viribus ſuſtinere nequeunt opera, ipſiſque grande nihil niſi motâ mente loquuturis Poëtis relinquere: cæteros, ceu vult. Ille, Reges, quibus ingenij munus, non laterum lacertorumq; tuendum eſt, eo carere prę̨ſtaret. Staphylium tamen ſi audias, poterit eius eſſe aliquis vſus, ſed rarior & parcior. Minore profectò impendio & labore, at maiore valetudinis commodo; ſaluberrimum vbiuis obuiæ & ante nos genitæ aquæ liquorem cæterarum more animantium quiſque ad potum adhiberet, niſi magna pars hominum, dum ſe non capit, voluptuarij potus dulcedine perinde caperetur, ac ſi non aliud ſit vitæ præmium. Hac teſſera ſuum ſibi conciliat atque demeretur hoſpitem hoſtis infeſtiſſimus, ſi quando vim manifeſtam non affectat, clam certè iugulum petiturus.

NÆ ille mentis aciem auerterat, ab ea, quam profitebatur ſapientia, qui putauit vinum munus eſſe pulcherrimum mortalibus à Deo Immortali tributum. Tardum ſcilicet dictu plura homini creet bona, an mala? Eſt quidem hoc ornatum priuilegio, vt ſpirituoſâ quâ pollet ſubſtantiâ iacentes, diſſipataſq; vires ſuſcitet colligatque promptiſſimè. At non tanti illud eſt, vt cætera quibus corpus animumque malè mulctat incommoda, hoc, quod etiam ad nos aliunde venit, beneficio redimantur. Nempe inani acceptum ventriculo, magno eius damno ac tormento feruet, æſtuat, immaniuſque debacchatur; ipſos autem vbi nactum eſt cibos, ſtatim peſſundat & corrumpit, ac ſi quando crudos & inquinatos non deijcit in ventrem magis ſubindè corrumpendos, turbas mouet, ſurſum effert, eijcit, effunditque omnia; vt eo onerati non magis cibum contineant, quàm arcanum. An & propterea ſui odium parit Veritas, quòd ſit Vini filia? planè id plusquam Circeum poculum ſit oportet, quod largiuſculè hauſtum, vel Socratē momento queat in Oreſtem vertere, quod viſcera ipſa diſtendit, calēfacit, ſiccat, vrit, inflāmat; ſanguinem, corpus, mentemque furiat, docet libidinem,

cuius institores exactoresque sunt oculi, vitia omnia aut incendit, aut detegit, obstantemque flagitiosis conatibus verecundiam remouet. Quid quòd Vini auiditatem auget ipsa bibendi consuetudo; melioriq; extinctâ indole, haud secus ac terra semper madida spinas, lolium, ranasque educat; facit somnolentos, socordes, stultos, oscitantes, obliuiosos nulliusque frugis homines, qui ad honestatis & sapientiæ lumen mentis oculos non magis aperiant, quàm ad Solis radios, qui ex diuturno morbo conualescunt.

TOTA igitur errant viâ, qui vinum Senibus perinde atque lac pueris accommodatum esse censent; longè aliter Medicorum Senatus: siue enim aliquid pristini roboris conseruare; siue officij munus tueri ac exequi; siue præstare consilio, quo res magnæ geruntur; siue authoritate quæ senectutis apex est; siue denique, vt ætate antecellit, ita & sententiæ principatum tenere cupiat Senex, vino debet vti dilutissimo ac parcissimo, vel si quid vult rectiùs, nullo. Equidem semouenda interdum tristis sobrietas, extrahendus aliquando in exultationem liber animus; & quo pacto amariores Lupini, vbi maduere, dulcescũt, sic senum qui penè stomachantur omnia, asperitas, & curæ, vino, cui inde Liberi nomen, nonnunquam diluendæ. At ne in grande ventriculi detrimentum intestina lis oriatur, ne iam concussa vitæ fundamenta quatiantur, quæque tum maximè clauum tenere debet ratio, sua sede vel minimum moueatur, quò quisque est adultiore senio, hoc vini, rei omnium coctu difficillimæ, magis subducendus, in diesque minuendus est vsus: extremamque demum ætatem agentibus vna ad potum obijcienda mulsa, vel aqua decocta. Hoc vnum potionis genus & siccum vegetumque corpus, & tolerabilem omnisque delirationis expertem facit senectutem, non subito frangendam, sed ipsâ diuturnitate extinguendam: Senio quippe, velut in ægris ex morbo, quia languet calor, nimij caloris vinum superare cum nequeat, statim acescit, augetque crudos succos, quorum multitudine, reliquas vitalis illius caloris quo Vita continebatur, scintillulas suffocari necesse est.

Ergo Senibus Vinum parcius, dilutius.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS GOVEL Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVII.

Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in vico Diui Ioannis Bellouacensis, è regione Collegij, ad insigne Cordis Vulnerati. M. DC. LVII.

cette these est la 1071.e du livre VII in folio des theses de la faculté. —